

## SECTIO I.

DE

## PRINCIPIIS ACTIONVM LIBERARVM EARVMQVE COLLISIONE.



*Lex in genere, eiusdemque divisione.*

## §. I.

Omnis actio libera ad legem est instituenta. Lex igitur in genere considerata est norma seu regula, ad quam actiones liberas instituere obligamur. Cuius obligationis, si auctor fuerit Deus, legis diuinae; si homo, humanae nomine veniet. Illa vel ex et per naturam est cognoscibilis, hinc lex naturae, qua enuntiata rationis de rebus vel expetendis, vel fugiendis explicantur; vel per reuelationem, huius legis naturae renouationem, hinc lex moralis stricte sic dicta, quae est regula a Deo immediate in monte Sinai, externe praescripta, omnes homines ad obedientiam perfectissimam obligans.

## §. II.

*Conuenientia et differentia legis moralis et naturae.*

Cum Deus sit auctor legis naturae et reuelatae, seu moralis stricte sic dictae, §. I. supremum vero Numen propter immutabilitatem voluntatis quoad decreta, sibi ipsi contradicere nequeat, leges naturales et reuelatae ut inter se conueniant, nec inter se pugnent, necesse est. Ad quas omnes homines obligati tenentur obligatione, quae ex intrinseca actuum moralitate, et conuenientia cum

cum